



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti  
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica  
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],  
libri VII**

**Rupertus <Tuitensis>**

**[Köln], 1527**

**VD16 B 3703**

Murenulas aureas faciemus tibi, uermiculatas argento.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34445**

um munit uerba tua, non solū ne quid ociosum aut noxium siue inordinatum per uocem erumpat, uerum etiam ne ipsum bonum tuum, secretum tuum, diuinum mysterium tibi creditum, leuiter uiam uel uocem inueniat, ut auris aliena siue filia aliqua, quæ uideatur esse filia Hierusalem, quæ forte custodire nesciret huiusmodi margaritas, sicut custodiri oportet propter porcos maximeque propter Herodē & eius complices. Vere igitur pulcherrima mulier, pulcherrima in genis, pulcherrima in collo. i. tam oculorum quam uerborum tuorum modoramine decetissimo. Quid ad hæc dicunt amici uel familiares tui: quales primi fuerunt apostoli?

Matth. 7

**M**urenulas aureas faciemus tibi, uermiculatas argento.

**M**urenula quoddam colli ornamentum uulgo sic uocatum, iccirco, quod scilicet auri metallo in uirgulas lentescere quædam ordinis flexuosi cathena contexitur, in similitudinem murenæ serpentis. Hæc & interdum auri atque argenti textitur uirgulis. Vnde hic dicitur, murenulas aureas, uermiculatas argento, faciemus tibi.

Quid murenula.

**A**urum & argentum idem significant hic, quod & in psalmo cum dicit. Pennæ columbæ deargentatæ: & posteriora dorsi eius in pallore auri. Aurum in dorso uel in posterioribus columbæ interior est sensus sacræ scripturæ, argentum uero sermo exterior, cuius nitore nullo modo comparari possunt lepores siue exornationes eloquentiæ mundanæ, quantumlibet exquisitæ fuerint siue accurate. Ergo pro murenulas aureas argen-

Psal. 67.

C

RVPER. IN CANTICA CAN. CA.I.  
gento uermiculas, recte intelligimus sermoci-  
nationes sanctorum, sensibus aureas: elocutionis ni-  
tore argenteas, siue luculentas. Est igitur sensus  
O uirgo uirginum quod factum est istud? Quia  
nec primam similem uisa es nec habere sequen-  
tem. Laxa uocis iter, & collum tuum silentio com-  
munitum pande interdum, & tutis auribus ami-  
corum fidelium, uel breuiter eloquendo com-  
mitte secretum, ut dicas nobis, quomodo uel p-  
quid altissimo complacueris: qualis ille tibi fue-  
rit, primum in corde siue in utero, deinde in con-  
uictu siue in colloquio, dum lactares uberibus,  
dum gestares eum uulnibus tremantibus? Sumus enim  
fidi artifices, argentarii fideles, & ad laudem illius  
qui tibi haec magna fecit, faciemus murenulas ue-  
ritatis, ornamenta benedictionis & gratiarum acti-  
onis benedicendo & gratias agendo, quia sic fe-  
cit tibi, ita ut non sit locus, ubi uox laudis huius  
non audiatur, uox sonora, laus altisona, quam tuum  
nomen concelebrans, iugiter te ambiat, & quo-  
dammodo de collo tuo dependeat.

¶ Dum esset rex in accubitu suo, nardus  
mea dedit odorem suum. Fasciculus myr-  
rhæ dilectus meus mihi inter ubera mea  
commorabitur. Botrus cypri dilectus me-  
us mihi in uineis Engadi.

¶ Hoc dico uobis o amici: & hoc auribus uestris est.  
Si habetis argentum, facite (ut dixistis) murenulas  
mihi: imo non mihi, sed domino, memores illius dicti  
Sapientis: Glorificantes dominum quantumcumque potueri-  
tis, superalebit adhuc, & admirabilis magnificen-  
tia eius; Benedicentes dominum, & exaltate il-

Eccl. 43.